

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XX. De inferno et de purgatorio.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

CAPUT XX.

DE INFERNO ET DE PURGATORIO.

ORANTE aliquando, vidit sub se Infernum apertum et in eo infinitam miseriam et horrorem; quasi serpentes et bufones, leones et canes, et omnium ferarum atrocium species, in invicem se crudelissime dilacerantes. Tunc illa dixit: « O Domine, qui sunt ii miserrimi? » Cui Dominus: « Isti sunt, inquit, qui nunquam dulciter una hora recordati sunt mei. »

Vidit etiam Purgatorium, ubi tot genera erant pœnarum, quot vitiis se animæ subjecerant in hac vita. Qui enim hic superbi fuerant, in Purgatorio de lacu ad lacum incessanter cadebant. Qui vero regulam et obedientiam professam non tulerant, ibi velut mole depressi et incurvati incedebant. Qui gula et ebrietate deliquerant, illi supini et velut amentes jacebant esurie et siti tabescentes. Et qui carnis desideria perfererant, sicut pingues carnes assatæ, per ignem defluebant. Sicque pro singulis vitiis secundum quod animæ meruerant, in Purgatorio pœnas luebant. Sed pro his dum ista preces fudisset, copiosam multitudinem earum Dominus liberavit.

Cuique
vicio
sua pœna
redditur.